Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1183
Quelle:
Copyright:

hi reddere procuretis. Opto uos ſemper ualere in domino. Cum *Beda* omnium hujus Defloratorum ſit recentiſſimus; *Reginonis* autem, *Burchardi*, *Gratiani* &c. nulla fiat mentio, Defloratoris aetas in Seculum IX. aut X. cadere videtur. *Monachum* fuiſſe, cum *Fructuoſi*, *Ferreoli*, *Columbani* citatae Regulae ſuadent, tum etiam *fol.* 112. S. *Benedictus* adductus: *Oratorium hoc ſit, quod dicitur. Nec ibi quicquam aliud generatur* (geratur?) *aut condatur.* E collatione Centonum ejus cum ipſis Autorum Operibus fortaſſe lectiones quaedam ſinceriores elici queant.

CCCII. VII F 14

435 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 258. 4. non una manu, ſat nitide tamen exaratus et rubro diſtinctus complectitur: I. *Sententias PP. de Incarnatione Domini* digeſtas in *Capita* CLXXIX. quorum Elenchus demum habetur *fol.* 256. p. 2. Prologus Operis incipit: *Norunt plerique rerum perditarum uel occultarum ſcrutatores quid requirant. ubi uero queſita reperiant. niſi aliorum indiciis adiuuentur plures ignorant* &c. Ait porro Collector, ſe ante annos aliquot *Libellum Manualem* condidiſſe, quo harum Sententiarum ſolummodo *Adnotationes* continebantur, verum deprehendiſſe, eum nequaquam ſufficere. *Dicebam ergo apud memetipſum. Si ego in monaſterio ubi tanta librorum eſt copia poſitus. uix tamen interdum ea que ipſe annotaui diſperſis ubique uoluminibus reperio. quid ergo aliis qui magnam huius opulentię patiuntur penuriam. iſta annotationum prodeſſe poterunt indicia.* Itaque ipſa PP. Loca conſcripſiſſe. Titulus: *Incipit liber de incarnatione domini. ex diuerſorum patrum ſcriptis defloratus.* Initium: *In tantum Sacroſancta eccleſia iuxta edictum apoſtoli obſecrationes. poſtulationes. gratiarum actiones pro omnibus agit* &c. Depromta ſunt haec e *Ruperto Tuit.* quem *Bernardus*, *Hugo*, *Gregorius M.*, *Auguſtinus*, alii excipiunt. Quoniam vero ſub finem *Prologi* legas: *De Circumciſione quoque et epyphania quecunque reperire potuero. his conſequenter adiungere curabo; fol.* 210. promiſſis ſuis ſtetit Florilegus; inter utramque tamen Tractationem *fol.* 222. occurrit ſcripta manu Sec. XIV. Verſio Teutonica quarundam *Stropharum* ex *Hymnis eccl.* ſelectarum, puta: *Jeſu noſtra redemptio.*

Got vater Herre iheſu chriſt.
Gedench daz dv vnſer loſer piſt.
Dv piſt auch vnſer minne.
Wier (be) *gern dein avch von ſinne.*
Schepher aller dinge.

Dv